

*G.R. 212.*

*J. N. J.*

*Ye  
3035*

**ACCLAMATIO  
JUBILAEA,  
QVA AD  
FESTIVITATEM  
SECVLAREM  
PROPTER  
AVGVSTANAM CONFSSIONEM  
ANNO MDXXX. d. 25. JUN.  
EXHIBITAM,  
PIA GRATVULATIONE d. 25. IVN.  
M DCC XXX  
DENVO CELEBRANDAM  
OMNES ORBIS CHRISTIANI  
THEOLOGOS ET FIDELES  
INVITANT  
ELECTORATVS SAXONICI  
THEOLOGI.**

---

VITEBERGAE  
TYPIS ÉPHRAIMI GÖTTLOÖS EICHSELDIL.







J. N. D. N. J. C.

*Universis atque singulis, vel intra, vel extra  
Europam degentibus, qui aequae pretiosam no-  
biscum sortiti sunt fidem, in justitia Dei &  
Servatoris Jesu Christi;*

Gratiam, misericordiam & pacem, a Deo  
Patre, & a Domino Jesu Christo, in veritate  
& charitate appreciamur

## THEOLOGI ELECTORALES SAXONICI.

**J**ubilate Deo, omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus;  
reddite gloriam laudi ejus. Dicite Deo: Quam su-  
spiciendus es in operibus tuis? In amplitudine virtu-  
tis tuae supplicabunt tibi hostes tui. Omnis terra  
adoret te, & psallat tibi: Psalmum dicat nomini  
tuo. Venite, contemplamini opera Dei: quam stupenda sint  
ejus consilia super filios hominum. Pietas, qua invicem  
tenemur, suadet, ut ante solennia Jubilaea, quae me-  
ditamur, his Davidis verbis, Vos, in Christo Dilectissimi,  
compellemus, & ad communia gaudia excitemus. Ju-  
bilate & exultate Deo, omnes totius orbis terrarum  
habitantes.

habitatores; Ipse enim est *asylum omnium finium terrae*,

**Ps. LXV. 6.** &<sup>3</sup> eorum, qui remoti in mari degunt. Concinite Psal-

mos & hymnos ejus nomini, quod sanctissimum est &<sup>3</sup>

**Ps. CXL. 7.** terrificum. Contendite eo certatim, ut stupenda ejus

omniisque laude majora opera concelebretis. Glorifi-

cate Dominum quantumcunque volueritis, supervalebit ra-

**Sir. XLIII.** men, &<sup>3</sup> admirabilis magnificentia ejus. Alloquimini

**32.** Deum his verbis: Quam mirificus & venerabilis es,

in operibus: potentiae, justitiae, gratiae? Quanta un-

decunque elucet & resplendet sapientia? O profundis-

tatem divitiarum & sapientiae & cognitionis Dei: Quam

inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viae ejus?

**Quis enim cognovit mentem Domini: aut quis illi fuit a con-**

**Rom. XI. 33. 34. 35.** *siliis? Aut quis prior dedit illi, quod reddatur ei? Inimici*

*tui, o Deus, intuentes infinitam virtutem & maiesta-*

*tem tuam, deficient, & destituentur consilio & robo-*

*re; itaque vel tandem invitissimi tibi supplicabunt,*

*exclamantes: Deo subiectum esse, justum est, non autem se*

*ei superbis cogitationibus exaequare. Non Iudea tantum,*

*in qua peculiari gratia te revelasti, te adoret; sed om-*

*nnes gentes venerabundis animis & filiali fiducia tibi*

*supplicant, & gloriam tuam decantent, ingeminantes:*

*Laudate Dominum, omnes gentes, praedicate ipsum omnes*

*populi. Nam benignitas ejus erga nos praepoller, ac veritas*

**Ps. CXVII.** *Domini in aeternum permanet. Veniet enim tempus,*

**1. 2.** *quo in omnem terram exhibet regula Apostolorum, & in fi-*

**Ps. XIX. 4.** *nies orbis terrae verba eorum. Imo, o Deus optime, Do-*

*minator misericordissime, appetit jam pridem tempus*

*illud, quo jussu tuo praedicatum est Evangelium omni-*

**Marc. XVI.** *creatuae. At non omnes, dolor! obediunt Evangelio, ne-*

**15.** *que, quae est plurimorum mentis obstinatio, brachi-*

**Ef. LIII. 1.** *um & potentia Dei gratiosa singulis revelatur & innote-*

*scit. Nos autem, quotquot Spiritu Dei ducti edocti-*

que



que sumus, fide & veritate congregati, contemplemur o-  
pera Dei, quam stupenda sint ejus consilia super filios homi-  
num. Quanta, & quam longe omnem hominum fi-  
dem aut spem humanam supergredientia praestiterit  
inter filios hominum. Certe, si unquam, in comi-  
tiis Augustanis, Anno MDXXX. d. XXV. Junii ha-  
bitis, apparuit, manum Domini nondum esse mutilam, quo  
minus servare possit; neque aggravatam ejus aurem, quo mi-  
nus exaudiatur.

Ef. LIX. 1.

Deus Optimus Maximus, cuius coelum est solium,  
& terra scabellum pedum ipsius, deliciae autem filii homi-  
num, admiranda sapientia & benignitate condidit ho-  
minem ad imaginem & similitudinem suam, scientia & sa-  
pientia, qua creatorem agnosceret; justitia & sanctita-  
te, qua ipsum coleret, exornavit, ut & inter visibles  
creatures esset, qui mente & anima ipsum agnosceret,  
suspiceret, & veneraretur; ipse autem eo praeferunt,  
tanquam opificio suo praecipuo, oblectaretur. Ni-  
hil in hoc opere vel sapientiae, vel bonitatis, vel po-  
tentiae praetermissum erat; eoque homo in statu pri-  
maevo, lumine intellectus voluntatem Dei, quan-  
tum ad ipsum illa pertinebat, expedite cognoscebat,  
&, quocunque in casu, quid sui esset officii, aestima-  
bat; Voluntate gaudebat libera, neque ullo vel defe-  
ctus, vel vitii pondere ad delinquendum rapta aut de-  
pressa, sed libere & sponte vices suas tam erga Deum,  
quam homines aut alias creature obire poterat, nul-  
la externa vi a sanctitate propositi ipsum prohibente.  
Affectus autem, quos hodie rebelles, & quandoque  
sapienter cogitata importune interturbantes experi-  
mur, habebat rationis judicio, divinae voluntatis lu-  
mine collustrato, obedientes. Non poterat non be-  
neficium Numen hoc tam pulchrum opus cum vo-

Ef. LXVI. 1.

Prov. II. X.

31.

Gen. I. 26.

Gen. I. 31. luptate intueri, utpote in quo *omnia erant valde bona.*

Sic instructum hominem Deus dignabatur foedere suo, & suauissima familiaritate ipsius utebatur, quippe quem & arcanorum suorum ficeret participem, & majori subinde gloria & beatitudine donaret. Quis, haec meditatus, non fateatur stupenda fuisse opera, consilia & beneficia Dei in homines?

At, cum fraude diaboli id, quod in homine erat praeflantissimum, esset perditum, loco cognitionis salutaris, ignorantiae caligo intellectum invasisset, vice sapientiae rationem stupor & stultitia occupasset, & voluntas, libertatis suae decore spoliata, sub vitiorum turpissimarumque cupiditatum servitute squaleret, affectuum coecorum famula, quibus imperare & leges praescribere debebat; Miseratus coeli Pater hanc nobilissimae creaturee suae tam indignam sortem & calamitatem, de alia, coelesti scilicet, sapientia, iustitia & sanctitate nobis prospexit, donato Filio, quem habet, unico, *quosq[ue]* & charissimo, qui nobis cederet in

1. Cor. I, 30. *sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemtionem.* Hunc cognoscere, & ejus personam, officia & beneficia meditari, vera est sapientia; Hujus iustitiam, quam obedientia sua, nostri vice praestita, acquisivit, fidelicorde amplecti & tenere, perfecta est iustitia; Hujus Spiritui, quem ille nobis promeruit & largitur, regendum sese permittere, vera est sanctificatio; Hunc unicum respicere, & in ipso confidere, parit nobis redemptioni a peccatis peccatorumque suppliciis. Tandem autem liberabit nos ab omni malo, & salvos faciet, in regnum suum coeleste evectos. Sed quoniam haec doctrina mysterium est, quod omnis ratio, suis viribus relicta, ignorat; indeque tenebris involuta, non nisi perniciem suam machinari valet; Dei benignitas & sa-

2. Tim.

IV, 18.

& sapientia' & in hoc sese manifestavit, dum Evangelium dedit, in quo tanquam limpidissimo speculo, cum Dei Patris ergo nos amorem, tum Filii meritum, & Spiritus S. saluberrimam operationem conspiceremus. Et Spiritu gratiae regeniti, novisque viribus ornati, Christi justitiam amplexati, sancti, impolluti & innocentes coram Deo compareremus. Omnis itaque cura & sollicitudo hominum in eo vertatur, ut depositum divini verbi non tantum sartum tecumque penes ipsos conservetur; sed & illud medientur die & nocte. Solae enim Sacrae Literae nos in Pf. I, 2. struere possunt ad salutem, quae per fidem est in Christo Iesu. Hoc unicum solatium nostrum est, quo destitutis, pereundum esset in miseria nostra.

Verum, quam languida in re tanti momenti sit hominum cura? Quam sagax cacodaemonis malitia, quamque pervicax in subvertenda veritate divina? Vel hoc unico argumento plus fatis patet, quod, seculorum vitio, solidum Dei verbum identidem suppressum, & in ejus locum naeniae & commentitia hominum dogmata substituta fuerunt. Manifesto illud ostendit temporum, quae ab exordio fuerunt rerum, decursus. Nobis nunc licet, oculos tantum conjiceret in ea tempora, quae aliquot annorum centenariis divinam illam, cuius instrumentum & minister B. Lutherus fuit, Reformationem praecesserunt. Quid non errorum & sententiarum portentosarum tum, intruso velut in Ecclesiam seculo, tam incuria hominum, quam ambitione & avaritia Praesulum Romanorum, in templo & pulpita sacra inventum est? Et longum & taediosum esset, omnia percensere. Eamus tantum strictim per summa rerum capita. Cum, ingentis thesauri instar, Deus Ecclesiae suae concrediderit

Pf. 15.  
CXIX,  
92.

Rom. III, rit λόγια sua, maxima eorum cura & tutela esse debet, ne  
2. vel autoritatis suae patiantur jacturam, vel, intermix-  
tis humani ingenii placitis, contaminentur. At quan-  
tum hac in re peccarunt, qui infelicibus illis sub Pa-  
patu seculis rei sacrae praefuerunt? Scripturis Sacris  
humanarum traditionum assumpta addiderunt, ea-  
que, quantumvis divinae voluntati διαφύσην contradic-  
tant, pari pietatis affectu, quo scripturas ipsas, re-  
cipere iusserunt; Ecclesiae suae, seu, ut ipsi intelligunt,  
Pontifici Romano, tanquam soli divinae mentis pro-  
mo condo, summam Scripturas interpretandi po-  
tentiam vendicarunt. Ipsi autem Scripturas, nisi haec  
interpretatio accedat, incertas, dubias & in varios  
sensus flexiles esse, perhibuerunt. Sic toti Scriptu-  
rae, cui Canonica sua dignitas utique constare de-  
bet, autoritas ademta, & in homines translata fuit:  
Plane contra disertum Dei mandatum: *Ad legem &*  
*Ef. IIX. 20. testimonium, quod nisi dixerint, non erit ipsis maturina lux.*

Ne Deo quidem suus honos relictus est: Cum enim  
solum se adorandum velit; hic religiosus cultus, ad an-  
gelos, beate defunctos, Mariam in primis, quin & re-  
liquias, quas vocant, sanctorum, imagines & Papam su-  
um transtulerunt. In iurii praecipue in Christum, uni-  
cum Mediatorem & Expiatorem nostrum, fuerunt, con-  
fictis & ad latus ipsi collocatis aliis mediatoribus &  
deprecatoribus, excogitato etiam, infelici prorsus omne,  
propriorum operum merito; ut proinde non sine causa  
B. Lutherus conquestus sit, ipsos Jesum Christum, Dei  
Filium, throno deturbare voluisse. Quorundam insolentia  
eo progressa est, at Mariam Deum appellariint; omnis-  
que sacrorum facies ita ritibus & ceremoniis obvoluta,  
ut rudiores subtot involucris ipsam veritatem amise-  
rint, & superstitionis devotione in externis tantum ha-  
serint,

serint, corticibus quasi Numen placatur; Ut hoc pacto  
divinus honor depresso est, ita homines, eorumque vi-  
res extollebantur. Tribuebatur naturae viribus, quod  
iisdem homo *de congiro* gratiam, & *hac obtenta*, *justitiam*  
& *salutem aeternam*, *de condigno*, ut ipsi vocant, mereri pos-  
sit. Hinc & viribus liberi arbitrii facultas, semet ad Deum  
convertendi, asserta est; Quae ipsa doctrina, quantum  
gratiae divinae deroget, per se manifestum est: Gratiam  
enim ejusque auxilia sibi non expetet, qui persuasum  
habet, per se metipsum se vitae aeternae participem fieri  
& posse & debere. Inde facile apparet, qua integritate  
princeps ille totius Christianismi articulus, de justificatio-  
ne peccatoris coram Deo sit traditus. Fингebatur scilicet,  
eas ipsas, quae per gratiam infundantur, vires & virtutes,  
esse eam justitiam, quam Deus in nobis requirat, cujusque  
intuitu, quicquid fuerit peccatorum, remittat. Hinc ju-  
stitia Christi, quae sola per fidem apprehensa, & ex gra-  
tia nobis imputata, nos Deo commendat, concubatur,  
& propria justitia, ceu olim ab Israëlitis, ζηλον ἔχεσθαι,  
αὐτὸς καὶ οὐτός εἴηντας fiebat, statuminabatur. Poenitentia Rom. X, 3.  
autem, in qua totius Christianismi exercitium occupari  
debet, in ludibrium vertebar, postulatis tribus, tan-  
quam ad eam necessariis, partibus, contritione cordis,  
confessione oris, & satisfactione operis; fide autem, tan-  
quam ad eam rem inutili, omnino praetermissa, quae ta-  
men caput rei confidere, totamque poenitentiam salu-  
tarem reddere debebat. Iam quid de sacramentis ageba-  
tur? Illa, quae a Christo instituta erant, vel impudenter  
mutilabantur, subtracto plebejis calice, vel additamentis  
plane superstitionis foede inquinabantur; Alia denique  
prorsus contra mentem Christi, imo in ejus contumeli-  
am, excogitabantur, eorumque vis mirum in modum  
depraedicabatur; non aliam ob causam, quam quia au-

cupii pecuniarii inde spes affulgebat. Morientibus autem, & jam de aeternitate sollicitis, triste illud solatum occentabatur, demigrandum ipsis esse in squalidum ignem purgatorium, ibique desudandum, usque dum intercessionibus Ecclesiae, sacrificiis item missaticis, quantumvis pretio redimendis, exinde liberarentur. Eo tandem processum est, ut, in instituto passim mercatu, aeterna salus, & immunitas a cruciatus infernali, aere venalis exponeretur, tam effreni licentia, ac si de orbis terrarum divitiis & honoribus, soli Romanae sedi jure omni vindicandis, esset conspiratum.

Animadvertisit cum indignatione, divinitus excitatus B. Lutherus, in nundinationem abiisse rem non sine conscientiarum praesentissimo periculo, & divini honoris proculcatione; Itaque, ignarus initio, quorū res evasura esset, Anno MDXVII. d. 31. Octobris, thesibus 95. ad fores templi OO. SS. affixis, instituta Disputatione, foeditatem tantum nundinationis indulgentiarum ostensurus, & Pontificis Romani autoritatem, quam tum ingenua mentis devotione prosequebatur, vindicaturus. Sed aliter longe res cadebat, quam ipse crediderat: Nam eo ipso, quo Pontificis ejusque cleri gratiam se initurum, confidebat, ipsos gravissime offendebat; aegre ferentes, per unius Monachi seu audaciam, seu imprudentiam, tot rivos, quibus opulentia & autoritas omnis ad ipsos huc dum confluxerat, intercipi & obstrui. Hinc insectationes ab Ecclesiastico primum, deinde & Politico ordine, quae usque eo ingravescebant, ut a Pontifice anathematis fulmine percuteretur, & ab Imperatore, mitissimi caeteroqui animi Principe, sed per clerum occupato, proscriberetur Lutherus. Sic cum sub coelo nihil tutum esset Megalandro, coelum precibus pegebatur, Deo totam rem committebat, Scripturisque meditan-

ditandis intentus, conscientiae consultum ibat, si in ter-  
ris subsistere non daretur, in supracoelibus portum  
& receptum inventurus. Neque tamen cessabat Deine-  
gotium, quod officii ratio ab ipso postulabat, agere, in-  
ter spem & metum a Deo auxilium praestolatus. Quin  
paulatim totum Theologiae latifundium puritati suaे  
restituebat, eliminatis, qui irrepserant, erroribus.

Appetebat tandem candida illa niveisque notanda la-  
pillis dies, qua doctrinae, quae recens ab Evangelicis re-  
cepta, & in Deum juxta atque Ecclesiam ignominosa  
esse perhibebatur, coram Sacratissima Majestate Impe-  
ratoria reddenda erat ratio. Hic Principes etiam Pro-  
testantium trepidabant; at B.Lutherus, de Dei protectio-  
ne securus, suasu hortatuque labantes erigebat, & tan-  
quam unus instar omnium esset, confirmabat. Tunc ve-  
ro maxime apparuit, non hominum, sed Dei omnipoten-  
tis, causam agi, ita efficaciter irae minaeque adversario-  
rum repressae, & veritati progressus liber fuit permisus.  
Edenda erat Confessio in confessu, quo nunquam sol  
vidit illustriorem, congregatis praeter summam, quae in  
terris est, Majestatem Caelaream, omnibus imperii Ele-  
ctoribus, Principibus & Proceribus, legatis idem Ponti-  
ficiis & multorum Regum exterorum; Multis etiam Ar-  
chiepiscopis & Episcopis, quorum plerique invidia & fu-  
rore fremebant, quovis obtutu, si potuissent, Evangelici-  
cos confossuri. Tempus erat, quo in apparatu belli de-  
sudabat Germania, armis obviatura Turcis, eosque suis  
finibus prohibitura; Causabantur autem adversarii, salu-  
berrima patriae consilia novis religionis motibus inter-  
verti: Nuperum etiam, qui incensoribus fanaticis qui-  
busdam praeconibus exortus erat, rusticorum tumultu,  
Lutheranorum culpa et tribuebant; & quicquid praet-  
erea corruptelarum invectum erat, ejus autores esse hos

X)( 2

prae-

praedicabant. Ipsa Augusta Vindelicorum, Episcopi sui  
praesentiam verita, puriorum Dei cultum nondum rece-  
perat, vel saltem vix primis labris degustaverat. Prae-  
genda erat Confessio Protestantium in ipso Episcopi Pa-  
latio; Severissimo antea facto interdicto, ne quis ex con-  
cionatoribus, quos Evangelici Principes adduxerant, du-  
rantibus comitiis, audiretur. Ita dum omnia ad terrorem  
incutiendum composita erant, Caesar, cuius clementiam  
omnis postera mirabitur aetas, autoritate & exemplo  
suo inimicorum manus & linguas continebat; Ipse autem  
Deus, Optimus Maximus, cuius honor quaerebatur, au-

Pf. XII, 6. *xilio erat, ut confidenter praedicaretur, idque per integras du-  
as horas, praelecta scilicet confessione. Quibus, quicquid  
erat saluberrimum aut necessarium creditu factuque, pa-  
lam exponebatur; &, quicquid veritati maxime inimicum,  
refellebatur. Cumque nostratisbus vetitum esset, Confes-  
sionem suam vel typis exscribendam, vel alio pacto vul-  
gendarum curare; tot exterorum Principum Regumque  
Legati, eam descriptam, & in linguas varias translatam,  
versus omnes mundi plagas dimiscebant. Atque hoc pa-  
cto verbum Dei, quod Augustae premebatur, ad exterios,  
maxime etiam dissitos, currebat, & ibi celebrabatur. Insigni  
documento, ignae indolis esse veritatem, &, quo magis  
premitur, eo minus opprimi. Effluxerunt enim ex eo  
tempore duo secula, quibus religio ista, quae Augustae  
caput efferre coepit, voce, calamo, ferro tantum non as-  
sidue appetita, fraudibus sollicitata, argutis tentata, scri-  
ptis lacepsita, bellis impugnata, & nullis non malis dive-  
xata fuit; invicta tamen & inimota perstat; petrae scili-  
cet, Christo superstructa, adversus quem ne portae quidem in-  
ferorum praevalebunt.*

Matth.  
XVI, 18.

*Exultemus itaque in Deo, salutari nostro, excitemus a-  
nimos ad meditanda magnalia Dei, linguis concelebre-  
mus*

mus ejus gratiam & veritatem. Conjuramus oculos in omnem, quo circumdaimur, creaturarum exercitum! Nulla illarum est, et si ratione destruatur, quin ex primo creationis momento in hunc usque diem, in officio, quod delegatum ipsi est initio, constanter permanerit, & gradum suum tueatur. Singulæ, pro modulo virium concessarum, in ejus laudes conspirant, qui creavit & conservat ipsas. Laudant ipsum coeli, angeli, sol, luna, stellæ, aquæ supracoelестes; ipso enim jubente, creata sunt. Ea que stabilivit, ut aeternum persistent: ac legem præscripsit, quam transgredi nequeunt. Laudant ipsum terrestres dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus. Montes & omnes colles, arbor fructifera & omnes cedri. Bestia & omne pecus, reptile & avis pennata, laudant nomen Domini, quia nomen ipsius solum sublime est. Ejus gloria superat terram & coelum. Nos autem, nobilissimæ creaturarum visibilium, in quorum commodum reliqua omnia producta sunt, quibusque hoc universum ministrat, quos intellectu & ratione donavit, quibus opera ejus & ineffabilem sapientiam aestimemus; quibus abstrusa mysteria & consilia sua revelavit, ut iis meditandis aeternum salvemur; pro quibus ipse depugnat, ut veritas nobis servetur integra; Nos, inquam, ad ejus laudes decantandas torpescamus? Absit illud per omnem modum! Quin potius singulorum vox sit: Paratum est cor meum, o Deus, patratum est cor meum, canzabo & psallam. Experciscere, o gloria mea, expurgiscere, nablum & citbara: Exurgam diluculo. Celebrabo te in populis, o Domine, canam te in nationibus. Quoniam bonitas tua ingens est, & ad coelos usque pertingit, & veritas tua ad aerbera usque. Extolle te, o Deus, super coelos, & super omnem terram gloria tua.

Veneramur nos Saxones & eo nomine immensam Dei bonitatem, quod SERENISSIMVM POTENTIS-

SIMVMQVE PRINCIPEM AC DOMINVM,  
DOMINVM FRIDERICVM AVGVSTVM, RE-  
GEM POLONIARVM, ET ELECTOREM SA-  
XONIAE, DOMINVM ET NVTRITIVM NO-  
STRVM LONGE CLEMENTISSIMVM, DE-  
LICIAS ET AMOREM PATRIAE VNIVER-  
SAE, sub cuius Gloriosissima vereque Regia tutela & umbra,  
triduum istud Jubilaeum celebraturi sumus, non pater-  
ne tantum tueri, & Regia incolumentate donare voluerit;  
sed & Sacratissimae ejus Majestati propitium pluimque in  
nos affectum inspirare & largiri. Procerum itaque nostro-  
rum, quorum voluntas sanctae nobis legis instar est, *jus-  
su Gratiosissimo*, explicabuntur Textus Fer. I. loco Evang.  
Rom. I, 16. 17. loco Epistolae Ebr. XIII, 15. 16. Fer. II.  
loco Evang. Ebr. X, 23. 24. loco Epist. Ps. XCIII, 5.  
Fer. III. loco Evang. Joh. VII, 16. 17. 18. loco Epist.  
Rom. X, 9. 10. 11. In his Textibus sacris, clementissime  
nobis praescriptis, ita, divina annuente gratia, versabili-  
muri, ut in fide nostra inde confirmemur, errantes in vi-  
am redigamus, tepidos & languidos excitemus, eos, qui  
indigne Evangelio vivunt, ad meliorem frugem revoce-  
mus, & afflictas prostratasque conscientias solatio eriga-  
mus. Quem fructum quia sola veritas divina praefstat,  
implorata ardenter Spiritus S. gratia, devotis illam men-  
tibus inquiremus. Reliquos autem ejusdem hebdoma-  
dis dies habendis Orationibus, Disputationibus, & hu-  
jusmodi sacris exercitiis aliis insumemus. Omni cura  
id agemus, ne quid contra, quam veritas patitur, vel pie-  
tas suadet, admittatur: Nihil ad cuiusquam contumeliam  
referetur, neque indulgebimus odiosis dissentientium a  
nobis sententiarum exagitationibus; Sed post laudes  
& celebrationes, Divino Numini debitas, preces funde-  
mus devotas, ut cimelium verbi sui & nobis conserveret  
inta-

intaminatum, & ad seram posteritatem transmittat incorruptum. Supplicabimus, ut, remissis clementer peccatis, quibus ipsum offendimus, porro in gremio Ecclesiae suae nos foveat, & Evangelii deposito pascat. Neque minus deprecabimur pro illis, qui a veritate alieni, illam vel ignorant, vel hostiliter insectantur, ut Deus ipsos a potestate tenebrarum ad lucem gratiae adducat, & nobiscum haereditatem gloriae impertiat.

Praecipua inter vota nostra erit & hoc, ut Deus Numinia terrestria, ipsius liberalitate & clementia generi humano concessa, tueatur; & cum omnibus magistratibus, Imperatoribus, Regibus & Principibus; tum *Regiae Majestati Poloniarum, & Electori Saxonico* praesertim, sub cuius umbra bene agimus, vitam, incolumitatem, pacem, felicitatem, &, si omnino bello opus est, victoriam concedat; Protegat idem *Serenissimum Celsissimumque Principem Regium & Electoralem, Electoratus Saxonici* haeredem, spem & voluptatem nostram, & universam adeo Ducalem Saxoniam Prosapiam; quo singuli sub magistratu nostro placidam ac quietam vitam degamus in omni pietate & honestate. Quare & confidimus, quosunque in eminentia constitutos non tantum pro potestate, divinitus concessa, festivitates nostras & gaudia approbaturos; sed & clementer in sua quemque editione, promoturos, utpote religionis tutores & nutritores.

Neque tamen hanc invitationem nostram eo acceptam volumus, quasi cuiquam metas & modum ponere optemus; quomodo & quando, aut quamdiu Deo pro beneficio, per A. Confessionem collato, gratias agere debeat. Non illud nobis sumimus, ut prae aliis eminere, & imperare postulemus; Sed sufficit nobis, indicasse nostram hilaritatem, & alios, ut eodem spiritu & veritate Deum celebrent, incitasse: Gratulabimur nobis, si & ipsi  
nos

OK Ye 3035

nos mutuis & reciprocis cohortationibus inflammare dignabuntur, quo magis utrorumque & singulorum exardescat studium & devotio. Secundum illud: *Abortantes Ebr. X, 26. vos invicem, idque eo magis, quod videtis appropinquitatem diem.*

*Qui autem adversitatibus pressi, praे gemitu & lacrymis cum Davide queruntur: Obmutuimus & humiliati sumus, silemus de bonis; & dolor noster recrudescit. Ne sibi persuadeant, nos aut ipsorum infelicitati insultare, aut eius dememinisse! Quin potius confidant, nos & ipsorum causam coram misericordissimo Deo acturos, & precatueros, ut, pro immensa bonitate sua, ne patiatur ipsis tentari amplius, quam possunt; sed ut tentationis eum largiatur eventum, i. Cor. X, 13. ut queant sustinere.*

Tu vero, Deus Trinune, sine cujus lumine, nihil est in homine, adesto nobis Spiritu tuo Sancto, ut Te solum agnoscamus, veneremur & colamus; Sicut Tua benignitate nos excitasti, ut tuo honori serviamus, ita etiam sapientiam & vires imperti, quo in veritate & sanctitate id praestemus. Serva nobis doctrinam Evangelicam, paternae tuae voluntatis pignus, integrum, & accende pectora magis magisque, quo sine labe in conspectu tuo ambulemus & te glorificemus, usque dum tandem aeternum in coelesti gloria jubilemus.

*Perscriptum Wittebergae Fer. I. Pentec. M D C C X X X.*


Non possumus quicquam adversus veritatem;  
sed pro veritate.



AN

B.I.G.

Black



Farbkarte #13

GK 212. 35  
F N F  
ACCLAMATIO  
JUBILAEA,  
QVA AD  
FESTIVITATEM  
SECVLAREM  
PROPTER  
AVGVSTANAM CONFESSIONEM  
ANNO MD XXX. d. 25. JUN.  
EXHIBITAM,  
PIA GRATVULATIONE d. 25. IVN.  
M DCC XXX  
DENVO CELEBRANDAM  
OMNES ORBIS CHRISTIANI  
THEOLOGOS ET FIDELES  
INVITANT  
ELECTORATVS SAXONICI  
THEOLOGI.

VITEBERGAE  
TYPS ÉPHRAIMI GÖTTSCHE EICHSFELDII

